Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3143
Quelle:
Copyright:

Te rogo criste pye meritis precibusque marie
Per loca tue vie. Me rege tota die.
Angele qui meus es custos pietate superna.
Me tibi commissum Salua defende guberna
Angele mi care Michi protinus auxiliare
Tu mei sis fortis. Custodia tempore mortis.

DCCCC.

40 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 59. f. max. in pios usus Ejusdem Principis litera unciali scriptus, auro, coloribusque decens, *Psalmos*, *Hymnos*, sacrasque ad Deum et Coelites *Preces* continet. Praecedit *Calendarium. Fol.* 19. *pag.* 2. in Oratione: *Deus regnorum omnium* &c. et: *Deus qui conteris* &c. diserte legitur: *da seruo tuo michi Friderico*, et *auxiliare queso mibi famulo tuo Friderico.* In Angelorum invocationibus semper memoratur et *Uriel.* Denique nemo paene Coelitum, quos Ecclesia colit, est, ad quem non oratio quaedam dirigatur. Augustum possessorem praeter rationem jam adductam comprobat cum familiare ejus *Symbolum* A. E. I. O. V. thecae anteriori coriaceae a Bibliopega exterius impressum, tum adpictum thecae posteriori interius *Insigne* Provinciarum *Friderico* subditarum scuta complexum.

DCCCCI.

531 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 32. 4. luculente scriptus, rubricisque notatus est Liber *Precum*, in usum quondam *Ejusdem*, ut liquet *fol.* 15. exaratus; ibi enim Oratio incipit: *Deus regnorum omnium — da seruo tuo michi Friderico* &c. Praeit Calendarium. Reliqua Psalmis, Hymnis, Litaniis, et Orationibus ad diversos Coelites definiuntur. Inter Archangelos non semel occurrit *Uriel.* Praetextum est folium, cui a diuersa manu inscripta sunt plurium Sanctorum Nomina, et a priore quidem manu, quam ipsius *Friderici* puto, haec sunt: *Vnser frau von den engeln gen himel gefurt in der Sun vnd den man vnder den fuessen. Vnser frau mit den kind in der sun den man vnder den fuessen* &c. E quibus conjicio Principis mentem fuisse, ut hisce Picturis *Codex* ornaretur. Quod tamen cur intermissum sit, non liquet.

DCCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 131
XV. Folior. 28. f. charactere luculento conscriptus continet *Psalmos* aliquot et alias *Precationes* ad Deum, Christum, B. V. et Coelites pro variis opportunitatibus. Hinc inde tamen aliquid superstitionis adlitum invenitur.

DCCCCIII.